

terminum à quo notat etiam potestatem , à quâ resultat hæc acceptio cohortis.

16. περὶ τῆς θύρας εἰσῆκα) περὶ cum Dat. apud, antè , ad , juxta , C. 20, 12.

37. *Ad hoc in mundum veni*) Inter alia sive aliquos fines Adventus mei in carnem est etiam officium meum Propheticum , cuius summa est testimonium Veritatis.

C A P . X I X .

V E R S . 14.

Hora erat circiter sexta) Scil. non diei, illa enim à Marco c. 15, 25. designatur fuisse tertia, & sextâ jam cruci affixus erat, sed intelligitur hora sexta ab illo tempore , quo Christum ex horto Gethsemane abductum hinc inde raptarunt ab uno Judicio ad alterum.

12. ἐν ταῖς) Scil. χρόνοις.

C A P . X X .

V E R S . 1.

I. E. primo. Die Solis. Vid. Act. 20, 7.

I. 10. περὶ εἰαυτῶν ἀπῆλθον) Apud seipso abeundo abiverunt, i.e. cogitando secum ipsis de hac re. Conf. Luc. 15, 17.

17. Μή με ἄπτε) Nonne, num (quin) me tangis ? i. e. omnino me tange & palpa, annon sim vere Jesus & non Spectrum vel Angelus ejus , quare dum adhuc licet , tange me , quia nondum ascendi ad Patrem meum , quo facto non amplius me, ut jam , videre ac tangere poteritis. *V*eletiam sensus esse potest hic : Noli me tangere hæc vice, quia nondū ascendi, i. e. dabitur post hæc locus me tangendi aut amplexandi, quia per aliquot dies adhuc vobiscum in visibili hæc conversatione commorabor; Nunc ergo tantum propera , & annuncia fratribus meis (Conf. Esa. 62, 2. Ps. 22, 23. Apoc. 2, 17.) quod ascensurus sim , quapropter ut & illi quamprimum hujus Evangelii participes fiant, hæc vice tantum propera ad afferendum illis hoc nuntium.

17. Ἀπτε) pro ἄπτη ex Hebraismo , permutatâ secundâ pluralis Præsentis cum secundâ plur. Imperativi. Conf. Joel. 2, 16. קְבַצֵּנִי pro קְבַצֵּי nisi dagesch illud sit Euphonicum. it. Ps. 78, 11 in voce שְׁלֹחֵנִי pro שְׁלֹחֵי

C A P .